

m

Handwritten text, possibly a library or collection number, located in the upper right corner of the cover.

Handwritten text, possibly a library or collection number, located in the lower right area of the cover.

150.
Cart. bibl. p. 150.

ORATIONES ANNIVERSARIAS

3.f

SYLVERSTAINIANAS
IN GYMNASIO

D. XI. MAJI clō lccc XCII, HORA IX. MAT.

HABENDAS

INDICIT

JOHANNES FRIDERICVS NEVMANN,

GYMN. RECTOR.

Prolusionis loco Proponitur

de

Bibliotheca Milichiana

Gymn. Aug. Gorl. Publica

repetitarum commentationum

Partic. VI.

GORLICII,

EX OFFICINA FICKELSCHERERIANA.



n celebrandis ac divulgandis omnis generis rebus humanis haud scio, an ullum hodie sit liberalius & utilius, aut certe innocentius, quam illud studium, quod ponitur in bibliothecarum bonis & ornamentis ad communem notitiam proferendis. Sed res ipsa etiam nonnihil laudis habet a parte officii, illorum quidem, qui alicujus bibliothecæ vel tutelam sustinent, vel curam gerunt, quod illa ipsorum liberalitas & opera in suppellectile proponenda luculenter testatur cum fidem & diligentiam in rebus parandis, tuendis augendisque, tum iudicium & intelligentiam in iisdem pro dignitate æstimandis. Atque hæc officii pars imprimis videtur præstanda esse bibliothecis iis, quæ in municipiis asservantur. Nam, quæ extant in aulis principum, aut in magnis urbibus & academiis visuntur ac celebrantur, eæ satis iam sunt illustres, vel antiquæ laudis fama, vel amplitudinis & splendoris præstantia, ut non opus sit, eas nunc demum notas reddere aut commendare. Illæ vero municipales, vel privato doctorum hominum studio collectæ, vel publicis sumptibus paratæ, aut singulari quadam nanciscendi felicitate acquisitæ, & patronorum fautorumque munificentia paulatim ad aliquam, non eximiæ quidem amplitudinis, at bonæ mediocritatis laudem evectæ, merentur utique pluribus innotescere, adeoque in lucem proferendæ sunt, ne, quæ bona

bona

bona sint, in iis delitescant, aut, qui possident, ea vel haud ita magni æstimare, vel aliis invidere videantur.

Milichianam quidem nostram, ex quo huc allata est, inde a quinque & sexaginta annis cimelii loco habitam, non modo munificentissima *Senatus Amplissimi* tutela magnis sumptibus & sede splendida ornavit auxitque longe ultra dimidium, sed custodes etiam conati sunt pro dignitate notam reddere civibus & exteris: Impri-
mis *Joh. Godofr. Geislerus* h. t. seren. Duci Saxon. Goth. a consiliis aulicis & primus bibliothecæ Gothanæ curator, qui inde ab anno hujus seculi LXIV. usque ad 1768. quo hinc abiit, in prolusionibus scholasticis, primum historiam bibliothecæ enarravit, ac deinde codices mst. recensuit potiores, & reliquorum indicem dedit. Qui tum & postea illas viderunt quinque commentationes Geislerianas talium rerum intelligentes & studiosi, ii rem & consilium laudarunt (*). In nostris de hoc ipso argumento libellis scholasticis primum historiam bibliothecæ persecuti sumus & statum externum descripsimus, deinde librorum e Seculo typographico, non omnium qui extant, sed potiorum indicem duobus abhinc annis quinta commentatione absolvimus. Nunc propius accedimus ad contemplandam ipsius *Milichianæ* formam interiorem, ut dicamus, qualis ea sit & quomodo composita, quid singulare habeat & proprium, quid memoratu dignum in quovis librorum genere. Atque hujus enarrationis initium ita iam facturi sumus, ut, paucis præmissis, quæ ad externa pertinent, eam ipsam ingrediamur quidem, sed postremo loco novas cujusque generis accessiones & incrementa enumeremus.

Præsides s. ephoros bibliotheca habet ex ordine amplissimo Viros honorum ac meritorum laude claros, *Joh. Gottlob Modrach*, Consulem, & *Joh. Gottlob Zobel*, Syndicum. Impensis augendæ rei causa faciendis consultum est partim annuo Stipendio ex *Ampliss. Senatus* liberalitate, partim usuris fortium e legatis testamentorum antiquioribus & novis (vid. de his Partic. I. p. 6.), ut Imperiales centum & duo quotannis in rem bibliothecæ uerti possint. Sedem *Milichiana* habet amplam & lucidam, (de qua pluribus diximus l. c.),

A τ

cum

(*) Has ipsas commentationes una cum nostris de bibliotheca *Milichiana* nuper perferendas curavi *Fr. Car. Glob Hirschbingio* V. Cl. qui 1786. inchoavit & superiori anno persecutus est: Versuch einer Beschreibung sehenswürdiger Bibliotheken in Deutschland, cum hac mentis significatione, ut, si tanti sibi viderentur, ex iis *Milichianam* nostram cognosceret, eique locum daret in catalogo inter alias illi pares & similes.

4

cum in conclavi majore, imaginibus *Milichiorum* gentilitiis exornato, tum in altero ad sinistram minori, in quo antiquior Gymnasii suppellex libraria asservatur, una cum imaginibus Rectorum pictis, inde ab ipsis Gymnasii primordiis. Codicum numerus hoc ipso tempore est in illo Milichiano majore ultra 8800, in hoc antiquioris generis fere 1500, ut totius bibliothecæ numerus codicum iam sit supra *decem millia*. Librorum Catalogi adhuc parati sunt duo, unus ad locum & numerum, quo codices sequuntur in quovis genere, alter ad auctorum nomina ex ordine litterarum; tertii generis secundum materias s. librorum argumenta parabitur, cum primum fieri poterit. Ordinis, quo codices in forulis locati sunt, hæc est ratio per disciplinarum genera, ut theologici primum locum occupent, secundum Juridici, tertium libri ad artem medicam pertinentes, una cum physicis, philosophicis, rhetoricis, oeconomicis & politicis: quartum historici, cum iis, qui pertinent ad historiam ecclesiasticam, ad antiquitates & historiam litterariam: Quintum Philologici, h. e. Lexicographi, grammatici, Oratores, Poëtæ, epistolographi, satyrici. (Nam ceteri scriptores classici, græci & romani, inserti sunt suis quisque disciplinarum generibus, e. g. Ciceronis scripta philos. & rhetorica relata sunt ad locum tertium supra indicatum, ac similiter Plinius major, scriptores rei rusticæ, item Sophistæ, ut Libanius, Philostratus aliique: plurimi locum habent in historicis. Vitruvius in architectonicis.) Sequuntur iam sexto loco Mathematici, Architectonici, Astronomici. Septima classis habet numerosam ephemeridum litterariarum suppellectilem antiquioris generis & recentioris.

Hæc in universum de habitu bibliothecæ externo. Sed prius quam ad interna accedamus singulatim & paulo curiosius contemplanda, commode hoc loco mentionem facimus apparatus haud contemnendi, primum iconographici generis in tabulis aeri incis, deinde tabularum geographicarum: quiquidem posterior ex usuris legati *Lerchiani* augetur subinde. Illius autem generis e pluribus hæc tria sunt inprimis memoratu digna: Primum, *La Galeria di Dresda 1754*. Opus integrum & pretiosum, duobus Tomis form. fol. max. comprehensum, complectitur centum picturarum Musei Dresdensis præstantissimarum exempla, quæ sollertia summorum illo tempore chalcographorum imitatione expressit. Commentarius additus est, duabus linguis italica & francica scriptus, qui in paginis

nis

5

nis divisis e regione positus sibi invicem respondet, imaginumque explicationem habet atque indicem. Et sane optandum est, ut spes instituti restaurandi & persequendi nuper facta quam primum impleatur. Alterum æque clarum: *Recueil des marbres antiques dans la Galerie du Roi de Pologne à Dresde 1733.* habet effigies statuarum quæ uisuntur in Museo Dresdeni hujus generis antiquario. Ipsum quidem opus conspicuum est cum ingentis uoluminis mole & involucris splendore, tum interna rei ipsius & artificii præstantia longe celeberrimum. Tertium miræ raritatis, hodie quidem, præsertim ob integritatem in sex & uiginti foliis, quæ declarant magnos illius artis in Gallia progressus ante hos octoginta fere annos, inscribitur: *La Galerie du Palais de Luxembourg, peinte par Rubens &c. Paris 1710.* Quicquid artifices ingenii habuerunt & facultatis, id omne contulerunt ad Mariæ Mediceæ, uxoris Henrici IV. uitam & res gestas illustrandas, vel, ut uerum dicamus, supra modum humanæ conditionis & quam maxime adulatorie efferendas. Tabulæ ipsius Rubensii pictoris autographæ Parisiis seruantur in illo palatio Luxemburgico. In foliis illis chalcographicis, diversæ magnitudinis & a diversis artificibus paratis, quædam sunt amplissimæ formæ, quæ facile vel hodie aurei solidi aut Ludoviciani pretio ab intelligentibus emantur. Alia quædam & recentiora hujus generis ornamenta nuper indicavimus in bibliothecæ incrementis: nec uana spes est, fore, ut ejusdem plura aliquando accedant.

Veniendum nunc erat ad illud propositum, ut ipsorum librorum in quouis disciplinarum genere uel præstantissimorum uel rariorum indicem daremus, adeoque rei initium faceremus e libris theologicis. Sed dum ea, quæ hanc in rem per hos dies & inter alios labores excerpta fuerunt & notata, denuo perquiro, facile uideo, mihi vix ingresso parum commode subsistendum fore in ipso quasi limine. Hanc igitur dicendi materiam malo iam alii hujusmodi libello reservare integram, quam narrationis ueluti filum abrumpere, ut, quod spatii reliquum est, nunc impertiri possit enumerandis uarii generis accessionibus & incrementis, quæ bibliothecæ contigerunt inde ab his duobus annis post nuperam de ea commentationem.

Libris igitur aucta fuit bibliotheca satis multis pro temporis spatio & rei nostræ modulo, iisque uel pecunia emtis aut alicunde pretio paratis, uel fautorum munificentia donatis. Vtriusque ge-

neris non omnes sed potiores tantum ac præcipuos indicabimus. Ac illius quidem inprimis memoratu digni sunt: Joh. *Dlugoffi* s. Longini historiæ Polon. libri XII. Lips. 1711. 2. Tom. fol. Epistolarum Paulinar. *Codex græcus Boernerianus* olim, nunc biblioth. Electoralis Dresdensis, transcriptus & editus a Chr. Fr. Mathæi. Misenæ 1791. Quart. *Thucydidis* libri VIII. ad recens. Duckeri c. Gottleberi animadversionibus, ed. Car. Lud. Bauer, Tom. I. Lips. 1790. 4. Sebast. *Seemilleri* incunabulorum typograph. academiæ Ingolstadtensis 1787-89. fascic. I. II. III. uno uolumine 4. Mich. Denis supplementa annalium typograph. Michaelis *Maittaire* P. I. & II. 2 voll. 4. *Ejusd.* Denkwürdigkeiten der Garellischen oeffentlichen Bibliothek. Wien 1780. 1 B. in 4. Joh Dav. *Michaelis* Einleitung in die Schriften des neuen Testaments 4te Ausgabe 1788. 2 B. in 4. Anton Yves *Goguet* vom Ursprunge der Gesetze Künste und Wissenschaften 3 Theile, übers. von Hamberger. Lemgo 1760. Heinr. Willh. Clemm's Einleitung in die Religion und Theologie Tuebing. 1783. in 7. Quart. B.

Die Göttingischen gelehrten Anzeigen, von Anfange vollständig bis 1790. mit dem Haupt-Register in 100. B. Ein und Zwanzig Bände der *allgem. Deutschen Bibliothek* von Jahr 1788 - 91. incl. d. supplem. Bände, zur Vollständigkeit des gantzen vorhandenen Werkes. Desgl. 8. B. *Leipz. gel. Zeitungen* von 1785 - 90. *Polybii* hist. quicquid superest ex edit. Joh. Schweighæuseri Lips. 1789 - 90. Tom. IV. priores, in 4. voll. *Virgilii* opera ex editione Heynii 1767 - 75. voll. 4. Ad supplendum *Saxii* onomasticon Tom. VI. & VII. duob. voll. Joh. Jac. *Baueri* librorum rariorum bibliotheca universalis Norimb. 1770 - 72. 4. voll. it. tria ejusd. operis supplementa. Heinr. Willh. *Lawaetz* Handbuch für Bücherfreunde und Bibliothecare mit Register des ersten Theiles in 6. B. Enumeratio suppellectilis librorum J. C. Waltheri, supplementi loco Lexici librarii Georgiani. Car. God. *Woidii* notitia codicis Alexandrini, denuo edita a G. Leber. Spohn. 1788. *Bibliothek der neuesten Reisebeschreibungen*. Nuernb. u. Leipz. von 1782 - 90. in 17. Bänden. Basil. v. *Ramdohr* ueber Mahlerey und Bildhauerarbeit in Rom. 1787. in 3 B. Joh. Sam. *Halle* fortgesetzte Magie oder die Zauberkräfte der Natur 3ter Theil in 3 B. Operis *Krünitziani* Encyclopædici supplementa usque ad Tom. 53. in 4 B. Die *Cramerische Fortsetzung der Bossuetischen Einleitung* in die Geschichte der Welt und der Religion, in 7 B. Die *neuesten Religionsbegebenheiten* (von D. *Koester* in Gießen)

fen) 12. Jahrgaenge von 1778 - 1789 in 12. B. Der *Arzt*, die bekannte *Unzerische* Wochenschrift, in 6. B. Willh. *Robertson's* Geschichte von America, ueberf. von Schiller. Leipz. 1777. 2 B. Chph. Gottl. *Heinrich's* deutsche Reichs-Geschichte, Leipz. 1787-91. in 4. B. Bernh. Fr. *Hummel's* Bibliothek der deutschen Alterthümer, Nürnberg. 1787. Das *Schicksal der Protestanten in Frankreich*, a. d. fr. v. Fr. Eberh. Rambach 1759. 2 Theile.

Præterea accesserunt duplicis generis *Atlantes*, uterque Vindobonensis, quatenus adhuc quidem emissi sunt, & parari potuerunt ex destinatione legati Lerchiani, alter *Schraembelianus* tabular. geogr. 113. alter *Rellianus* s. Schauplatz der fünf Theile der Welt, von einer Gesellschaft Geographen, herausgegeben von J. J. v. *Reilly*. 1. Theil, vorizt 48. Blaetter.

Alterius generis incrementa cum librorum tum aliarum rerum multa bibliothecæ attulit fautorum liberalitas ac munificentia, cujus specimina mente gratissima commemoramus, ac primo quidem loco dona Joh. Gottlob *Geisleri*, Scabini & urb. Præfecti, de Milichiana nostra inde a multis annis præclare meriti. Is igitur hoc bienio primum obtulit *codices manuscriptos*, qui sequuntur: Gottfr. v. *Bukisch* Schlesische Religions-Acten von Jahr 1517 - 1675. 5 Baende in Fol. Tomus sextus, qui tertius est in ordine voluminum, desideratur, sed, si forte alicubi latet & reperiri poterit, ex promisso Fautoris subsequetur. Der *Stadt Breslau Niederlags-Recht*. fol. *Barthol. Sculteti*, Gorlicensis, viri consularis, ante hæc duo secula doctrinæ laude honorumque ac dignitatis amplitudine clarissimi, *Msta. autographa* plura in forma Quart. 1) *Descriptio Cometæ* a. 1578. inde a 10. Nov. per Dec. in 13. Jan. sequentis anni continuis 65. diebus in sublunari regione apparentis. (Codex luculenter & nitide scriptus, senatui Gorlic. dedicatus, figuras habet illuminatas & delineationes.) 2) *Annales Gorlicenses* ab anno 1495 - 1592. 3) *E libris rerum gestarum Gorlicensium excerpta* uarii generis ab a. 1356 - 1570. 4) *Collectanea a contributionibus antiquis, Marchionum Brandenburg. ætate & a Regibus Bohemiæ usque in annum 1582.*

Deinde libris impressis idem *Geislerus* bibliothecam ornavit duobus voll. in forma quartana majori, iisque magni pretii sic inscriptis: Chr. Frid. *Schwan* *Abbildungen der vorzüglichen geistl. Orden* in ihren gewöhnlichsten Ordens-Kleidungen, nebst einer hist. Nachricht vom Ursprunge, Verfassung und Absicht, mit illuminir-

ten

8

ten Kupfern. Mannheim 1791. *Ejusdem Abbildung derjenigen Ritterorden, welche eine eigene Ordens-Kleidung haben &c. ebenfalls mit illum. Kupf. ib. eod. anno.* Tum obtulit *Programmatum Bau-meisterianor.* collectionem satis amplam ac plenam, duob. voll. forma maj. & quartana comprehensam, & Joh. Adam Hilleri commentarium sic inscriptum: *Ueber Metastasio und seine Werke &c.* Leipz. 1786. 8. His denique addidit donum prorsus singulare & eximium, sua ipsius cura & impensis paratum: *Hundert Abdrücke eines neuen topographischen Plans der Stadt Goerlitz*, zu Leipzig gestochen, für den nutzen der Bibliothek, durch Verkauf das Blatt zu 5. Groschen, *nebst der Kupfer-Platte.* Aliud munusculum nummorum antiquorum paulo post indicabitur suo loco.

Sam. Traug. Neumanni, Senatoris Gorl. hæc sunt dona 1) *Institut. Justin.* libri IV. Venet. per Bapt. de Tortis 1501. (opus merito refertur ad ea monumenta typographica, quæ reperiuntur in bibliotheca,) 2) Leonhard Thurneyssers *zum Thurn Erfüllung der Verheißung* 1580. Liber fanaticus & rarus. 3) *Sylloge disputatt. acad. varii generis.* Insunt nonnullæ a Lusatis habitæ.

Joh. Abrah. Crudelius, Steuer-Secret. bibliothecæ donavit 1) librum, qui inscribitur: *Fasciculus rerum expetendarum ac fugiendarum*, in quo continetur Concilium Basileense ac præterea LXVI. alia opuscula Colon. 1535. adhæret Concilium Nicenum septimum e gr. per G. Long. ib. 1540. 2) Ehrendenkmal des Rect. Sam. Grossers cum collectione programm. inde ab a. 1695 - 1715. Hr. Christ. Sam. Schmidt, Pastor zu Koenigshayn: Die von ihm herausgegebene Untersuchung der Frage: Ward das Christenthum in Boehmen von Methud nach den Grundsæezen der gr. oder der latein. Kirche eingeführet? Leipz. 1789. Hr. Sub-Rect. J. Mich. Tzschoppe: Versuch ueber die secte der Illuminaten a. d. franz. von ihm ueberf. Freyb. 1790. Hr. Advoc. Ge. Chr. Aug. Bernhards e paterna suppellectile libraria 1) Spissum volumen mst. sic inscriptum: *Landes Privilegia fol. (Lusatia).* 2) Ein schoener codex alten Druckes, in fol., enthaelt den *Sachsen-Spiegel*, gedruckt zu Basel durch Bernhard Richel 1474. it. den Richtsteig mit der lat. Glosse und Zusætzen. Zuletzt: Landrecht, Weichbild und Lehnrecht. Hr. Caemmerey-Verwalter Riefchke: *Heinr. Christ. v. Brocke Forstwissenschaft, neue Aufl.* Leipz. 1788. 1 - 4. Theil a B. in 8. Hr. D. Stoetzer: *Disputationem, quam*

quam Lipsiæ habuit inauguralem sic inscriptam: *Exercitatio juris civilis de temporis continui & utilis computatione.* Lips. 4. 1791.

E munusculis aliarum rerum hæc sunt commemoranda: Caroli Gottlob lib. Bar. de *Schachmann vidua*, matrona generosissima, memor illius erga Milichianam nostram liberalitatis, cujus carissimus quondam ipsius maritus specimina multa extare voluit, dono dedit: XIII. diversæ formæ exempla tabularum chalcographicarum, quas sua manu elaboravit conjux ille, dum viveret, dulcissimus isti matronæ, amicis in deliciis habitus, nec unquam obliviscendus.

Nummarii generis antiquarii duo sunt, unum *Sodalitatis litterariæ Lusatice*: Bracteati octo, e pluribus Lindæ nuper in Lusatia super. effossis in horto prope ædes Parochi. Exempla sunt non unius generis. Sed viri docti & rei hujus numismaticæ intelligentes mire lætati sunt illo invento, propterea quod in nonnullis illorum bracteatorum facile agnoscerent inscriptionem circulaem vocabuli *Gorliz*, haud obscure expressam, adeoque nacti essent monumentum rei numismaticæ Gorlicensis & Lusatice antiquissimum. Hujuscemodi bracteati cum reliquis illic detectis asservantur in illius sodalitatis litterariæ Museo numismatico.

Alterum duplex *J. G. Geisleri*, cujus supra indicavimus librarii generis dona:

1) Nummi quatuor antiqui, in quibus eminet unus, argenteus, moduli medii, urbicus, Neapolitanus, mire conservatus. In parte antica cernitur Dianæ caput, in postica Minotaurus, ac super eum victoria volans, altera manu coronam tenens. In segmento legitur litteris græcis majusculis *Νεαπολιτ* --. Reliqui sunt Cæsarei e seculo secundo. Postremus Turcicus (ein Asper)

2) XI. nummi argentei Cæsarei e seculo III. moduli medii, plerique bene conservati: Elagabalus, Julia Mæsa, Gordianus pius, Philippus pater isque duplex, alter rarus, Decius, aliique. Hi omnes sunt e reliquiis illius apparatus numarii, quem ante hos duo fere annos in Hungaria rusticus quidam inter arandum ex agro eruit, & qui postea Vindobonam delatus est publica auctoritate, ut nummi potiores illic venderentur emolumentum causa, quod inde paratum cederet inventori. Reliqui a Judæis aliisque hominibus eodem consilio cum in alias regiones distracti fuere, tum

Lipsiam nuper allati, ubi illos supra commemoratos in mercatu superioris anni autumnali sibi forte oblatos coemit civis Gorlicensis primarius, Christ. Ehrenfr. Conradus, mercator pannarius, quod sciret, gratum se facturum esse Geislero nostro, qui hujusmodi res cupide arriperet, ut eas Milichianæ nostræ impertiat.

Anniversaria illustris. quondam Baronis *Sylverstainii* memoria celebrabitur in Gymnasio ob singularem Viri munificentiam & eximia in rem nostram merita. Cui quidem officio ut satisfieri possit, solennibus scholasticis dies dictus est XI. Maji, & eo die hora IX. in auditorio primi ordinis orationes habebuntur, primum a me, deinde a tribus adolescentulis bonarum litterarum studiosis, quibus nuper contigit Stipendii Sylverstainiani beneficium. Dicent igitur, grati animi pietatem declaraturi :

CHRISTIANVS SAMVEL GESSNER, Gorlic.

JOHANNES GVILIELMVS KOEHLER, Libaviensis - Siles.

JOHANNES FRIDERICVS AVGVSTVS SCHNIPPERT, Sprottaviensis - Siles.

Quæquidem solennia ut *magnifici & amplissimi Patres reipublicæ, Gymnasii Patroni, summe Reverendi sacrorum Antistites, Gymnasii Magistri & Collegæ clarissimi, omniumque ordinum fautores scholæ spectabilissimi* sua præsentia cohonestare velint, & illas orationes benigne indulgenterque audire, omni, qua par est, observantia oro rogoque.

P. P. d. X. Maji 1792.



Hist. Sax. H. 273^m

